DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

DEGLVTITIONE

ISTIVSQVE

LÆSIONE ET LÆSIONIS THERAPIA

QVAM

GRATIOSI ORDINIS MEDICI CONSENSV

PRÆSIDE

D. JOH. CAROLO SPIES

ARCHIATRO WOLFFENBVTTELENSI ET THERAP. PROF. PVBL. H. T. SVI ORDINIS DECANO

PRO ADIPISCENDIS HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

DOCTORIS

D. XXII. DECEMBR. MDCCXXVII.

IN JVLEO MAJORI

PVBLICE VENTILANDAM

EXHIBET

JVSTVS HENR. HECKENBERG

OSTERODA-HANNOVER.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII ACAD. TYPOGR.



PROLEGOMENA.

I.



Ctio deglutitionis eſt actio adeo mirabilis & homini adeo neceſſaria, ut ea læſa miſere homo vivat, ea vero penitus ſublata, diu vivere non poſſit. Quoniam vero tam vario modo lædi poteſt & ſolet, operæ pretium eſſe putavi, vt, cum thema inaugurale mihi eſſet conſcribendum, illudque diſſertatione peculiari nondum ventilatum noverim, ejus læſiones paulo curatius examinarem atque exponerem. Haud quidem ignoro ſub præſidio Cel. SCHACHERI ante viginti & quod excedit annos diſſertationem de *Deglutitione* Lipſiæ eſſe ventilatam; quia vero in hac Autor deglutitionem ſolum phyſiologice, ut vulgo dicunt, ſive in ſtatu tantum naturali, conſiderat atque exponit, ab eo autem tempore varia adhuc nova eaque notatu digniſſima circa deglutitionis organa ab anatomicis inventa atque detecta ſint, non inutilem me præſtiturum eſſe operam judicavi, quando loco ſpeciminis inauguralis pleniorem paulo deglutitionis œconomiam ſive hiſtoriam exhiberem,

ejusqne non ſolum naturalem, verum etiam morboſum ſtatum paulo penitius deſcriberem atque ob oculos ponerem.

II.

Quod vero antequam faciam nonnulla ad clariorem rei intellectum præfanda eſſe exiſtimo, atque ſciendum eſſe puto, quod corpus noſtrum tam in ſolidis quam in fluidis haud magnum temporis ſpatium idem permaneat, vel & permanere poſſit, quin mutationem ſubeat. Et hoc ex veterum jam philoſophis quidam agnovit, inquiens; *hodie alii ſumus, quam fuimus heri, & cras erimus alii, quam hodie ſumus:* quibus verbis ſane corporis noſtri mutabilitatem & fragilitatem indicare voluit. Cum enim vita noſtra conſiſtat in perpetuo motu, & hic in actione fluidorum in vaſa, & contra horum in illa; hinc atteruntur, mutantur, & patiuntur invicem, ſicque ipſa vita mutationis corporis cauſa evadit. Si enim cordis motum, qui per totum vitæ curriculum indeſinenter adeſſe debet, animo noſtro perpendimus, quanto cum vigore atque impetu non perpetuo vibrat ſanguinem in arterias ei annexas, ita ut ſi quis animal quoddam vivum aperiat, & ſecundum dorſi ſpinam in abdomine aortam comprimere tentet, vix poterit, & vehementem pulſum ac renixum ſentiet: Sic quoque notum eſt, quod arteria cruralis vix digiti minimi craſſitiem æquans totum crus pedemque, ſi alter alteri fuerit impoſitum, in contractione cordis elevare poſſit: & in carpo, ſi quis exploret pulſum, magnus certe is deprehenditur, & fit hoc toties in hora per omnem vitam, unde neceſſario vaſa atteruntur & mutantur. Sed longe majorem ſubeunt liquida noſtra mutationem, quanta enim copia iis non ſubducitur per ſalivam, per mucum in glandulis faucium, narium, per humorem gaſtricum & entericum ex apertis arteriarum oſculis in ventriculum & inteſtina depoſitum, per excretionem urinæ & denique per inſenſibilem tranſpirationem, cœteras excretiones omnes ſua copia ſupe-

ran-

rantem. Cum itaque per inſenſiles æque ac ſenſiles excretiones ſemper aliquid ſubſtantiæ laudabilis cum excrementitia e corpore eliminetur, & ſic quovis fere momento corpus noſtrum mutetur, totum ſane ſenſim mutaretur, & denique inevitabilis ejus deſtructio inſequeretur, niſi loco deperditi novum reſtauretur, vires cordis refocillentur, & ſic novus quaſi homo ſemper generetur: nam experientia conſtat noſtros humores ob jejunium nimis diu protractum adeo acres fieri ob defectum nempe gelatinoſi in ſanguine, ut ſaliva gingivas, & urina veſicam erodat. Sic quoque compertum eſt, lac in nutricibus, ſi per duodecim horarum ſpacium a cibo potuque abſtineant, & interea infantibus ad deplendas præbeant mammas, ut eorum famem ſedent, adeo acre reddi & plane urinoſum odorem ſaporemque induere, ob novi chyli defectum, ut plane abhorreant infantes.

III.

Vt ergo partes noſtræ detritæ renoventur, & corpus actiones ſuas cum facilitate, oblectamento & conſtantia quadam excercere valeat, debebat nutriens aliquod ſuppeditari: hinc opus erat ingerentibus quibusdam, quæ corpus noſtrum evadere poſſint: neceſſaria quoque erant inſtrumenta recipientia & mutantia, quæ & digerant alimenta & ſucceſſive mutent, antequam humoribus noſtris permiſceantur: nam neqne ipſum lac animalium, teſte experientia Lowerı in Tr. de Corde, ſi ſtatim absque ulla mutatione prægreſſa ſanguini per venas affunderetur, poſſet fluere cum illo, quin ſtatim maxima præcordioram anxietas & oppreſſio, cordisque palpitatio oriretur, & ſi ad vaſa pulmonum minima perveniret, ſuffocationem & repentinam produceret mortem. Quam ob rem patet quam clariſſime actionum naturalium neceſſitas & nobilitas, quæ aſſumpta quælibet actione viſcerum, vaſorum & humorum chylopoieorum ita mutant, ut corpori priori nunc mutato adſimilentur, ejusque naturam induant,

veris-

veriſſimo Hippocratico dogmate, *quod homo iis conſtet, quibus nutriatur, iisque nutriatur quibus conſtet.* Quam egregie enim non proſpexit humano generi ſummus rerum Effector, & quam abundanter nobis non largitus eſt alimenta tum ex regno vegetabili, quam ex animali, ut immenſam ejus benignitatem nunquam ſatis prædicare poſſimus.

IV.

Inſtrumenta vero transmutationem degenerantium asſumptorum in corpus noſtrum inducentia ſunt quæ chylopoieſi inſervientia omnia eſculenta & potulenta recipiunt, retinent, mutant, inter ſe miſcent, conterunt, in liquorem ſublacteum magis magisque noſtri naturam induentem convertunt, tandemque ſenſim per varia organa, horumque in corpere actiones ita mutant, ut corpus ipſum evadant. Actio vero hæc chylopoieſeos per varia organa aſſumpta mutans in primis ſic dictis viis, ore, pharynge & ei continuato anguſto iterumque ampliato ſacco membranaceo oeſophagi, ventriculi, inteſtinorum ingeſta in fruſta dividit, ſolvit, digerit, liquidiora reddit, ope organorum reſpirationis, arteriarum & inteſtinorum in galactofera vaſa eorumque ductum communem chyliferum propellit, donec iterum in corde & pulmonibus vario attritu & conquaſſatione ſanguini permiſceantur, ut nutritioni & conſervationi noſtri corporis apta evadere poſſint.

V.

Alimenta itaque uti in os & ventriculum ingeruntur duplicia ſunt, vel fluida & ſorbenda, vel ſolida & magis cohærentia: illa ſi aſſumuntur ſine prævia mutatione ſtatim deglutiuntur, & per viam ab ore in ventriculum deſcendunt: hæc vero nempe ſolida moleque majora ulteriori præparatione indigent, ne ſi naturalem œſophagi expanſionem ſuperent, ibidem hæreant, unde ſic non modo deglutitionem plus minus laborioſam redderent, verum etiam eandem penitus

nitus fufflaminando fuffocationis modo periculnm, modo ipfam etiam mortem inferre poffent, de quali triftiffimo eventu abunde obfervatorum libri teftantur. Ne vero hoc contingat, neceffe eft 1) ut folidiora morfu difcerpantur, quæ actio requirit, ut maxilla infcrior à fuperiori verfus pectus abducatur, & dein fortiter iterum contra maxillam fuperiorem comprimatur, ut fic intercepta octo dentibus utriusque maxillæ inciforiis confcindi queant, & in minora frufta redigi. 2) manducentur, quod fit, dum diductis iterum molliter maxillis præmorfum extremo linguæ prehenditur, & molaribus dentibus fupponitur, ut ulterius comminui poffit. 3) Saliva, muco, & aëre inter mafticandum permifceantur, ut ulteriori folutioni & deglutitioni aptiora reddantur, quæ uberius expofita legi poffunt in Celeb. HEISTERI Differt. de Mafticatione. Manfis, fubactis, lubicratis & præparatis itaquc fic cibis commode deglutiuntur, & ex cavo buccarum, palati & faucium per pharyngem & œfophagum in ventriculum deducuntur. Cum vero inftituti mei jam fit pleniorem deglutitionis hiftoriam exhibere, eam in tria dividam capita, atque in primo phyfiologiam five naturalem deglutitionem explicabo: in altero ejus pathologiam: & in tertio morborum deglutitionis therapiam addam. Faxit Deus feliciter.

CAPVT I.

PHYSIOLOGICVM SISTENS INSTRVMENTA ET MODVM DEGLVTITIONIS.

I.

Deglutio itaque eft actio animalis five voluntaria, qua cibum & potnm ex cavo oris & faucium per oefophagum in venticulum deducimus, inter corporis humani actiones certe fatis intricata, quæ tam variis partibus amice fimul

ſimul concurrentibus operoſe, attamen tam cito & facile peragitur, ut non attendamus fere: verum non omni plane vacat periculo, nam ubi error loci minimus committitur, ut ſi guttula vel micula in aſperam incidat arteriam, ſtatim tuſſis movetur, ſi vero fruſtum panis, vel carnis, aliave corpora peregrina illabantur, ſubita quandoque imminet mors. Inter organa vero deglutitionem promoventia, quæ externe introſpicienti in os viſui occurrunt, primum ſe offert conſiderandum os ipſum: quod eſt magnum cavum, conſtructum à labiis, buccis, palato; ubi ſtatim in anteriori ejus parte mandibulæ duæ cum ſuis infixis dentibus, dividentes illud in anterius, quod à labiis, buccis, gingivis & dentibus circumſcriptum, & poſterius cavum, quod pone dentes poſitum & fere ovatum eſt: formatur vero hoc poſterius in ſuperiori parte â palato dentibus ſuperioribus interjecto, quod in anteriori parte oſſeum, concavum, & quaſi fornicatum, à parte inferiori oſſis maxillaris ſuperioris & toto oſſe palati compoſitum, quodque membrana, in anteriori parte leviter ſulcata, firmiter obductum, à quo procedit palatum mobile in parte poſteriori, quod veli inſtar pendulum eſt, è cujus lateribus utrinque procedit arcus rubeus, tremulus & geminus, qui ab utroque latere radici linguæ, inſeritur: in medio vero & extremo margine pendet uvula ſive columella, quæ eſt poſticæ partis palati elongata teretiuſcula aut quaſi conica pars, linguæque radici fere incumbens: inferiorem partem ſive fundum oris conſtituit membrana oris & lingua ipſa, quæ inter gingivas & latera dentium procedens ad fauces tendit, & denique oſſi hyoidi nectitur: qua depreſſa in rictu videtur magnum cavum poſterius, in quo eminet epiglottis, poſt hanc inferius glottis, & denique magnum foramen ſive hiatus, figura fere infundibuli, qui pharynx vocatur ad œſophagum ducens. Hisce generalioribus præmiſſis, mearum partium erit, ut hæcce organa paulo propius examinem, imprimis ea, quæ jam maſticata alimenta ad ventriculum promovent,

vent, atque hoc præcipue per muſculos eorumque motus, quibus quælibet pars inſtructa eſt, itemque per infinitos magnos parvosque fontes ſalivales, cryptasque mucoſas effici, credo omnes habebo conſentientes.

II.

Ad LINGVAM itaque me converto, quæ præterquam quod guſtus ſit inſtrumentum & animæ noſtræ optimus interpres, non minimam in deglutitione præſtat operam. Quam mira enim celeritate non ſuos abſolvit motus, nam modo expanditur & lateſcit, modo ſtringitur, modo antrorſum movetur & extra os exſeritur, modo retrorſum trahitur, nunc ad ſuperiora, nunc ad inferiora, jam dextrorſum, jam ſiniſtrorſum ducitur, atque ſic in omnem partem flectitur & movetur. Quatuor vero ei annumerantur muſculorum paria, quorum 1) eſt *Genio-gloſſum*, quod ab interna media & aſpera menti parte carnoſo, ſed ſatis anguſto oritur principio, mox latius procedens per totam fere linguæ longitudinem inferius extenditur, eamque ingreditur, & pro lingua exſerenda & contrahenda inſervit. Cui è regione ſiti ſunt 2) *Baſio-* & 3) *Cerato-gloſſi*, quorum illi à baſi oſſis hyoidis, ſeu media & ſuperiori ejus ſede proveniunt, & non modo linguæ radici infiguntur verum etiam fibris ſecundum longitudinem exporrectis ad apicem usque linguæ excurrunt: hi vero à cornubus oſſis hyoidei exorti lato carneoque initio, adſcendentes largo fibrarum ductu inſeruntur in linguæ latera juxta ejus radicem. hi una cum præcedentibus linguam retrahunt, & breviorem faciunt, item deprimunt & explicant. 4tum par conſtituunt *Stylo-gloſſi*, qui à parte externa proceſſus ſtyliodis osſis temporum acuto & carneo principio originem ſumentes, & craſſiores latioresque facti obliquo in anteriora deſcenſu ſe inſerunt poſticæ & laterali linguæ parti, atque actionibus ſuis linguam ad latera trahunt, retrorſum ac ſurſum movent, & palatum versus elevant. Atque hi muſculi omnes etiam

ipſum linguæ corpus formare videntur, dum vario reptatu & commixtione, in quorum enodatione *Malpighius* certe feliciſſimus fuit, uniuntur, cujus fibræ longitudinales linguam breviorem reddunt, transverſæ linguam arctant, perpendiculares linguæ craſſitiem minuunt, anguloſæ linguam introtrahunt, rectæ baſin linguæ comprimunt, aliæque acuminatum ejus dorſum deprimunt. Cœteras vero linguæ partes, ne nimis prolixus ſim, quæque nihil ad noſtrum ſcopum conferre videntur, prætermitto.

III.

Ad linguæ motum & deglutitionem promovendam, haud parum adjumenti adferre videtur OS HYOIDEUM, cui ſimile non eſt in corpore humano, dum nulli oſſi articulatur, ſed totum liberum, & tantum per muſculos & ligamenta variis in locis alligatur, quodque repoſitum eſt in ſummo gutture, inter linguæ baſin laryngemque, nec minus linguæ fundamentum firmum inſimulque mobile præſtat, ut ſic harum partium motus uno eodemque fere perficiantur tempore. Dirigitur vero ejus motus præcipue per V. muſculorum paria: quorum Imum ſunt *Genio-hyoidei*, qui ab interno mento juxta ſynchondroſin maxillæ inferioris, ſub genio-gloſſis orti, affiguntur baſi oſſis hyoidis, illudque ac ei annexa antrorſum ſurſumque valide ducunt: quibus contrarium motum imprimunt 2) *Sterno-* & 3) *Coraco-hyoidei*: quorum illi modo à ſterno & clavicula, modo à ſolo ſterno, modo à ſola interna clavicula, parte ſterno vicina oriuntur, & parti baſeos oſſis hyoidis anteriori inſeruntur. hi vero rotundi ac carnei principium ſumentes à ſuperiori coſta ſcapulæ ad radicem proceſſus coracoidis, progreſſuque, ubi ſub maſtoideo muſculo tranſeunt, biventres facti affiguntur baſi anteriori & cornubus oſſis hyoidis: qui agentes os hyoides recta deorſum ducunt, & Genio-hyoideorum fiunt antagoniſtæ. 4tum par ſunt *Stylo-hyoidei*, qui acuto carneo principio à proceſſu ſtyliformi oſſis temporum orti, moxque latio-

res

res facti oblique antrorſum excurrunt, plerumque per mediam ſui ſubſtantiam tendinem digaſtrici tranſmittentes, tandemque inſeruntur articulationi cornu majoris cum oſſe hyoide & ejusdem baſi, quorum ope retro ſurſum elevatur os hyoides cum annexis. 5tum. denique efficiunt *Mylo-hyoidei*, qui larga aponeuroſi ab interno inferioris maxillæ latere juxta dentes molares usque ad anteriora ejus orti largo tendine iterum affiguntur mediæ parti baſeos oſſis hyoidis. hi os hyoidis in omne fere punctum mandibulæ ad latera, ſurſum & antrorſum trahentes omnia ſimul elevant, quæ ei incumbunt, ut linguam laryngemque: nec minus ſalivæ excretionem ex glandulis ſublingualibus, quibus immediate ſunt ſubſtratæ, accelerant, & in os effluere faciunt.

IV.

Perluſtratis ſic linguæ & oſſis hyoidis muſculis ad LARYNGIS examen progrediendum, qui quamvis nihil ad deglutitionem facere videatur, tamen notabilis ejus inter deglutiendum obſervatur motus ſurſum deorſumque, quo fit ut ejus apertura glottis dicta dum ſurſum elevatur, epiglottidi appropinquetur, & ſic commode ab illa obtegi queat, ne tranſeuntia alimenta in tracheam incidant, variasque moleſtias creent. Larynx itaque cum aſpera arteria ex variis cartilaginibus flexuoſis eſt conſtructus, ut nempe iis ſemper apertis eo liberius aër pro reſpiratione in pulmones intromitti, iterumque emitti poſſit; verum quoque cum alimenta deglutienda ſemper ſuper laryngem ferantur, antequam ad Pharyngem perveniant, neceſſe eſt ut tempore illo laryngis rima non ſit aperta, ſed exacte obfirmata. Supervacaneum duco hic recenſere cartilagines laryngis, excepta illa *Epiglottide* dicta, quæ ad ſimilitudinem hederæ folii plerumque accedit, & ſuperiori & anteriori thyroidis cartilaginis parti ſuper quam mox poſt radicem linguae erecta eminet, juncta, ab oſſis hyoidis ſinu excipitur, ut adeo reſpectu coe-

terarum cartilaginum altiorem obtineat locum: & quamuis larynx firmiter per ligamenta basi linguæ & ossi hyoidi annectatur, quibus elevatis & ille sursum trahi possit, tamen peculiares musculi hancce elevationem facilitare videntur, uti sunt *Hyo-thyroidei*, qui carnei ab inferiori sede ossis hyoidis orti descendentes parti laterali & inferiori cartilaginis thyroideæ seu scutiformis ampla insertione affiguntur; qui attollendo laryngem rimam ejus epiglottidi proximius adducunt, quo sic omnimode obtegi & claudi queat. Postea larynx in sedem suam reponitur à *Sterno-thyroideis*, qui à sterni media & interiori facie ultra latum digitum infra Sterno-hyoideos proficiscuntur, post è pectoris cavo emergentes sensim ad latera vergunt, & obliqua insertione ad lateralia thyroidis tubercula terminantur. Non minus quoque Epiglottidi famulantur musculi deprimentes illam & rursum attollentes; & quamvis huc usque tantum in brutis epiglottidi concedebantur musculi, licet à IAC. SYLVIO duo attollentes totidemque deprimentes indicati erant, tamen jam homini quoque restituuntur, & à I. G. PAVLI rursus describuntur. Illi enim attollentes satis longi à basi ossis hyoidis ad posticam epiglottidis radicem protenduntur, & *Hyo-epiglottei* vocantur, qui vero à *Littrio* & *Sanctorino* pro unico attollente habentur. hi vero deprimentes *Ary-epiglottei* dicti minores sunt, qui ab arytænoidarum cartilaginum apicibus orti, oblique & anterius ad epiglottidis latera delati inseruntur. quibus *Santorinus* thyro-epiglottidæos duos majores totidemque minores addit, qui vero; ut ipse affirmat, tam tenues sunt, præsertim ultimi, ut vix nisi in robustissimis cadaveribus videri queant, & propterea etiam eorum loco tantum membranulæ observantur, ut Cel. HEISTERVS Comp. Anatom. pag. 169. indicavit. Denique & Epiglottis variis instructa est ligamentis, quorum unum medium & anterius linguæ, duo lateralia ossis hyoidis cornubus, & duo posteriora arytænoideis cartilaginibus eam annectunt, &

sic

ſic pro deprimenda & rurſum elevanda plurimum valent.

V.

Proximum eſt ut PALATVM mobile cum ſua propendente *uvula*, quod deglutitionis tempore narium foramina, ne alimenta per ea ſurſum pellantur, claudere, & inſimul dum iterum deorſum trahitur, ea ad pharyngem propellere debet, conſideremus. Quam ob cauſam variis inſtructum eſt muſculis quaſi tot chordis trahentibus: & quidem 1) par, quod *Gloſſo-ſtaphilini*, ſive potius *Gloſſo-palatini*, qui a lateribus linguæ in parte ejusdem inferiori exorti, arcum illum anteriorem formant, & dein adſcendentes inſiguntur ad latera veli penduli. 2) par quod *Hypero*-ſive *Pharyngo-ſtaphilini*, hi latam & amplam a parte inferiori pharyngis originem habent, qui aſſurgentes quoque inſtar arcus, qui poſterior, ſeſe inflectunt, & ſub Tonſillis excurrentes etiam partibus lateralibus veli inſeruntur, 3) veniunt *Thyro-ſtaphilini*, qui ab imo cartilaginis thyroidis latere orti feruntur in ſuperiora cum præcedenti pari, & in priorem mobilis palati partem ſe inſinuant, ac cum duobus paribus præcedentibus palatum expanſum aliquantulum deorſum trahunt, & alimentorum deſcenſum juvant. 4) par conſtituunt *Salpingo-ſtaphilini*, qui a parte tubæ Euſtachianæ poſteriori, & quidem partim ex ejus parte membranacea, partim ex oſſea originem ducunt, oblique dein deſcendentes poſteriori & ſuperiori uvulæ parti inſeruntur, eamque elevant & retrahunt. 5) par efficiunt *Pterygo-ſtaphilini*, qui orientes a ſuprema parte proceſſus pterygoidei & anteriori tubæ deſcendunt inter utramque illius laminam, tendinesque circum corniculum ſive apophyſin acutam & incurvam interioris laminæ proceſſus pterygoidei flectentes, quaſi per trochleam ad anteriorem veli palatini partem inſeruntur, & ſic deorſum antrorſumque illud movere valent. 6) par his accedit, quod *Cerato-ſtaphilini* a Cel. HEISTERO indicati & fig. 38. delineati, qui ſerie fibrarum

 ple-

plerumque ſatis conſpicuarum e radicibus apophyſium tenuium pterygoideorum proceſſuum proveniunt, & tendineis ſuis expanſionibus in velum palatinum deſinunt verſus uvulæ partem ſuperiorem, quam cum ſequenti pari ſurſum trahunt. 7) par præbent *Palato-ſtaphilini*, qui orti utrinque ad juncturam oſſium palati principio latiori, & conjuncti ſenſim anguſtiores evadunt, ac triangulum repræſentant, & deſcendendo uvæ parti ſuperiori inſeruntur, eamque ſurſum & antrorſum trahere videntur. Quibus ultimo annumeratur unum *Impar* ſive *Azygos Morgagni*, qui pene ab oſſea palati ora, qua narium ſeptum imminet, inter muſculos Hypero ſeu pharyngo-ſtaphilinos, ſupra Salpingo-Thyro-ac Gloſſo-ſtaphilinorum fibras per poſticam mobilis palati faciem, ultra imam illius oram transverſum digitum ſiſtitur, qua multo gracilior fit, ac proximius confertis glandulis & membrana oris circumdatus ipſum corpus uvulæ efficit, & ſe mox contrahi, mox relaxari patitur.

VI.

Denique ſuperſunt & FAVCES, ſpatium illud, quod inter radicem linguæ, laryngem & vertebras colli poſitum eſt, quod alias PHARYNX ſeu oeſophagi principium appellatur; cum vero illæ ferme ſint collapſæ extra deglutitionis actionem, niſi ea parte, ubi os hyoideum eas diſtentas, pro admittendo aëre in tracheam & pulmones, & pro illo iterum emittendo, ſervat, hinc ut bolum ſeu alimenta commodius recipere, eisque receptis ulterius in œſophagum propellere poſſit, *varii muſculi pharyngem attollunt, dilatant, & rurſus conſtringunt:* Ex quibus primum par efficiunt *Stylo-pharyngæi*, qui lato carneo-tendineo exortu a proceſſus ſtyloidis radice proficiſcuntur, poſt tres circiter latos digitos demiſſi ad pharyngis lateralem angulum bifariam dividuntur, quorum tenuior & ſuperior pars pharyngem ſubit infra Gloſſo-pharyngæum mox deſcribendum, quæ rurſus bipartita, ſuperior

rior & tenuior interius in posteriora pharyngis contendere videtur : altera inferior & crassior in interiorem pharyngis faciem producta ad inferiora deducitur : altera vero major a prima divisione ejusdem musculi portio in superiorem cartilaginis thyroidis oram , & quam maxime in eiusdem latus inseritur : atque sic non tantummodo pharyngi , verum etiam laryngi plurimum famulari constat. 2) par præbent *Cephalo-pharyngæi*, qui ab apophysi anteriori ossis occipitis ante foramen magnum conjunctim orti descendunt fusis tenuatisque fibris, & in posteriorem exterioremque pharyngis faciem coeteris fibris implexi pene evanescentes desinunt. ex his *Sarotorinus* unicum constituit musculum, eumque solitarium seu Azygos pharyngis dicit. 3) par sequitur , quod *Pterygo-pharyngæi* qui tum a processus pterygoidis corniculo, tum ab interioris alæ crepidine lati sed tenues procedunt, & in posteriora pharyngis inseruntur. 4) par constituunt *Salpingo-pharyngæi* , qui tenui tendineoque principio a postico cartilagineo Tubæ Eustachianæ margine originem ducentes, moxque carnei evadentes recta se demittunt, ac sub pharyngis membrana per interiora latera in ima descendunt. Hos cum tribus præcedentibus paribus musculorum pharyngem attollere necesse est. 5) par suppeditant *Mylo-pharyngæi:* hi tenui, acuto, tendineoque principio ab inferiori maxilla pone ultimum dentem molarem exorti , mox laxiores proximique Pterygo-pharyngæi fibris copulati , post lenem inclinationem provecti ad superiora pharyngis contendunt , eique applicantur, hi pharyngem non modo in priora trahunt, & utramque faciem quodammodo adducunt , ut & paululum inferiorem partem , cui adhærent , attollunt, sed etiam Tonsillas, quas complectuntur , comprimunt , & detrudendis cibis expressum humorem immittunt. hocce par musculorum jam a *Douglasio* in Myographia sua Londini 1707. edita , itemque a *Cantio* impet. anatom. descriptum est, hinc *Santorino* , qui novum illud appellat , idque a se primum descriptum esse affirmat,,

firma, inventionis gloria tribui nequit. 6) veniunt *Glosso-pharyngæi*, qui à linguæ latere prope abſcedunt, & deorſum delati infra Mylo-pharyngæorum fibras in poſteriorem pharyngis partem ſeſe inſerti conjiciunt, ac ſuperioribus muſculis coadjutores ſe præbent. Vltimo denique eſt *Oeſophagæus*, ſive gulæ ſphincter, qui iterum â *Valſalva* & *Santorino* in tria diſtincta paria dividitur & Hyo-Thyro-& Crico-pharyngæi à variis nepe eorum originibus appellantur, dum priores connectuntur appendicibus, & proceſſibus cornutis oſſis hyoidis: alteri ab utroque antico latere cartilaginis thyroidis: & tertii à cricoide cartilagine originem ſumunt, qui omnes verſus poſteriora pharyngis oblique tendunt, & in ejus medium lata expanſione deſinunt. ex his vero *Valſalva* Crico-pharingæum pro vero conſtrictiore agnoſcit. *Douglas* vero & *Cantius* adhuc in plures dividunt. Quoniam vero, ut recte Celeb. HEISTERVS dijudicat, eorum fibræ intime ut plurimum connexæ ſunt, ut ſine difficultate dividi nequeant, & raro tales diviſiones, quales *Valſalva* Tab. V. & VI. pingit, quæ eas diſtinguerent, clare perſpiciantur, hinc eorum numerus non eſt multiplicandus, ſed ſub unius ſphincteris ſive oeſophagæi nomine comprehendi commode poſſunt. cujus actio in eo conſiſtit, ut, dum contrahitur, alimenta in *Oeſophagum* protrudadat, qui eſt canalis longus, anguſtus, poſt aſperam arteriam ſitus, & defectui orbicularium annulorum in poſtica parte adhærens, jam magis ad ſiniſtrum, jam iterum magis ad dextrum ejus latus vergens, ſed plerumque recta deſcendens usque ad quintam thoracis vertebram, ubi ob aortam deſcendentem non nihil dextrorſum cedit, & ad nonam circiter vertebram cum eadem lævorſum deflectit, tandem per diaphragma carneum tranſiens plerumque amplior factus in ventriculi orificium ſuperius ſive ſiniſtrum implantatur. Componitur vero ex diverſis tunicis ſibi invicem ſuperimpoſitis, quarum prima & extima eſt membranacea, in thorace cum pleura continua, coeteraſque

rasque investiens. altera musculosa, ex duplici serie fibrarum constans, quarum exterior ex fibris rectis ac longitudinalibus, interior vero ex orbicularibus sive annularibus, non vero spiralibus, ut in bobus. Hæ fibræ satis expansiles sunt, ut possint admittere bolum & contractæ ulterius propellere, illæ non solum has coërcent, sed & canalem hunc accurtant, & descensum boli juvant. tertia cellulosa, flatu tantum separanda ac præcedentem cum quarta connectens, quæ nervea, multis vasculis sanguiferis ac glandulis instructa, post quam sequitur villosa, humore lubrico ex arteriis apertis osculisque glandularum stillante obducto.

VII.

Antequam vero ad actionem ipsam accedam, videndum quoque quam egregie his partibus sollicita prospexerit natura, ne eæ ab alimentis siccioribus vel asperioribus lædantur, vel hæc plane in faucibus subsistant, dum omnem hanc viam humectat & lubricat liquidum quoddam, seque iis permiscet. Hocce vero liquidum duplex observatur: unum fluidius, *Salivæ* nomine veniens, quæ variis in glandulis secreta iterum variis in locis in os deponitur, quarum insigniores sunt 1) *Parotides*, quæ larga copia per ductus *Stenonianos* juxta secundum vel tertium dentem molarem se aperientes salivam fundunt. 2) *Maxillares*, quæ per ductus *Warthonianos* juxta radicem frenuli linguæ se aperiunt. 3) *Sublinguales*, quæ parvis ductulis sive osculis inter linguæ latera & gingiuas utrinque in os hiant seque exonerant. Quibus & illæ duæ glandulæ circa dentes molares posteriores maxillæ superioris à Celeb. HEISTERO indicatæ & in suo Comp. Anatom. fig. 36. & 37. delineatæ, quas & mihi in ultimo cadavere benignissime monstravit, accensendæ sunt, quæque aliquot osculis excretoriis salivale liquidum emittunt. Sic quoque foramen illud linguæ coecum alias appellatum, à COLLINO, MORGAGNO & HEISTERO delineatum, primus VATERUS

pro ſalivali ductu eoque primario habuit, in quod nonnunquam ſingulares ductus, ut à Cl. HEISTERO obſeruatum eſt, ſe euacuant; eo vero deficiente plures circa baſin linguæ aperturæ folliculorum inſtar obſeruantur. ut taceam innumeras minores glandulas miliares & lenticulares per totum os, præcipue tamen per labia diſperſas. alterum vero, quod jam paulo craſſius & magis glutinoſum ſive *mucoſum* in poſteriori oris cavo, ut in palato pendulo, uvula, radice linguae, tonſillis, pharynge, totoque ei continuato tractu œſophagi ſecernitur, ubi hæ glandulæ muciparæ copioſiſſimæ ſunt. Sic in pharyngis fornice, qui ſub anteriori ac retuſo oſſis occipitis proceſſu ſitus cartilaginoſa Euſtachii tubarum extrema interjacet, & poſterius pharynge, anterius vero narium ſepto & cavitatibus terminatur, denſa craſſaque membrana plurimis cumulata glandulis, nunc unico ductu, ut Cl. HEISTERVS fig. 38, delineare curavit, nunc pluribus oſculis, ut SANTORINVS notavit, incertæ magnitudinis ad inſtar ſpongiæ, quæ idem Cl. HEISTERVS in ultimo cadavere hæcce loca perſcrutans mihique cœteriſque commilitonibus monſtrans annotavit, pertuſa, copioſum mucum ſubminiſtrat: qualem cumprimis quoque *tonſillæ*, duæ illæ notabiles glandulæ utrinque ad fauces juxta uvulam ſitæ, & à transeunte bolo preſſæ fundunt, ut ſic undequaque allabente materia fluxili & mucoſa bolus involvatur, & facilius in ventriculum deferatur.

VIII.

Apparatu itaque hoc expoſito ad ipſam actionem me confero, ut explicem, quo ordine hæ partes conjunctæ agant, & alimenta in ventriculum deducant. Dum enim præmanſum ac lubricatum deglutire volumus, linguæ apex per muſculos Genioglosſos protractus ubique pererrat os, conquerit manducatum & in unum corpus conglobat, quod bolus vocatur, tum deprehendimus linguam bolum mira celeritate recipere in ſuum dorſum, ut hæreat inter linguam & palatum,

hoc

hoc facto firmius adducimus maxillas, & claudimus os: raro enim apertum tenemus, quando deglutire volumus, possumus id quidem sed non fit nostro cum commodo: tunc lingua latescit, sic ut eam amplitudinem & figuram acquirat ovatam, respondentem dentium ordinibus, ut sic formetur cavum singulare ab anterioribus dentibus, lingua & palato, postea lingua promovet deglutiendum, quod molle & ductile, retrorsum, quod facile cedit in posteriora: hæretque tunc sub palato mobili supra radicem linguæ, ubi vero bolus diu hærere nequit, quia locus est valde sensilis, nam vix vel pluma possumus attingere illum locum quin irritetur: debet itaque inter radicem linguæ & palatum mobile retrorsum agi, quod fit dum radix linguæ attollitur sursum ac retrorsum trahitur, per Stylo-Basio- & Cerato-glossos itemque Stylo-hyoideos, versus mobile palatum, tum eodem tempore & hoc agit, dum à Salpingo-Cerato- & Palatostaphilinis explicatur & instar magnæ valvulæ posticæ narium parti applicatur, ut sic impediat, ne in nares prematur bolus: ubi vero ibi hæret, non potest suo pondere labi exiguus bolus, sed magna vi deorsum premitur, tunc palatum à Glosso-palatinis, Pharyngo- & Thyro-staphilinis trahitur deorsum ut sic propius linguae fiat, quo tempore & uvula a Pterygo-staphilinis & Azygo accurtatur & retrotrahitur, ne transitum boli impediat. Quomodo vero bolus ad pharyngem nunc deferatur, ne in asperam arteriam cadat, jam explorandum. Veteres putavere huic officio servire epiglottidem, nempe bolum vel liquidum erectæ occurrere epiglottidi, hanc deprimere, sternere sibi pontem, ut ita transcendere possit: quod quidem aliquo modo verum: sed si hoc fieret à bolo majori, non tamen idem contingeret à minori vel liquidiori: nam epiglottis rigida satis & erecta à suis ligamentis & musculis tenetur, & glottis semper aperta pro in & exspirando, pharynx vero & oesophagus semper clausus & collapsus, ne continuo omnia exspirarent: deglutitionis vero tempore debet pharynx aperiri,

riri, trachea vero claudi. Videamus quid fiat: dum itaque radix linguæ attollitur, convulſivo quaſi motu annexum os hyoideum quoque à Stylo-Mylo-& Genio-hyoideis cum appenſa larynge ab Hyo-thyroidibus antrorſum ſurſumque elevatur, inclinatur tunc epiglottis, adjuvantibus & ejus muſculis deprimentibus, ſic occultatur ſub illa glottis, & infimul à muſculis thyro-arytænoideis & ary-arytænoideis conſtringitur: eodem tempore aperitur pharynx, dum à Stylo-Cephalo-Pterygo-& Salpingo-pharyngæis attollitur, & à Mylo-& Gloſſo-pharyngæis dilatatur, ſicque via panditur deſcenſuro bolo: huc allato promovendus eſt vlterius ille bolus nam ſi glottis iterum aperiatur, illaberetur tamen in tracheam, hinc muſculi pharyngis relaxantur, os hyoidis à Sterno-& Coraco hyoideis, itemque larynx à Sterno thyroidibus cum pharynge paulatim trahitur deorſum, moles ejus ab Oeſophagæo arctatur, conſtringitur & ſic in oeſophagum propellitur contentum, per quem denique mediantibus ſuis fibris orbicularibus & longitudinalibus in ventriculum deducitur. Tam operoſa arte fit deglutitio, totque conſpirantes organorum adeo multiplicium & concurrentium huc requiruntur actiones, ut ſumma admiratione digna ſit.

IX.

Cum ſic abſolverim quæ ad deglutitionem peragendam ſpectare videntur, non inutile fore duxi, ſi hanc quæſtionem *an fœtus materno adhuc incluſus ergaſtulo deglutiat, & ſic quoque per os nutriatur*, ſubjungerem. Sunt quidem nonnulli etiam adhuc ex recentioribus, qui hoc perſeveranter negent, & ſolum funiculum umbilicalem nutritionis opus in fœtu perficere aſſeverent, fœtumque nihil deglutire, neque deglutire, poſſe. Tamen variæ rationes & experimenta graviſſimorum virorum me plane convincunt, quod deglutiat & ſic etiam per os nutriatur. Quemadmodum enim percipitur fœtum in utero alias partes, brachia ſcilicet pedes & caput muſculis

ſuis movere, cur non etiam linguam muſculosque pharyngis movere, iisque deſtinatas actiones perficere poterit, eodem modo ac partibus modo recenſitis. Ad quod uberius probandum Cel. SCHACHERUS in Diſp. ſupra laudata de deglutitione ſequens adducit experimentum: canem nempe gravidam vivam & partui vicinam ſcalpello ſubjecit, atque utero inciſo & chorio diſſecto, amnio vero cum incluſo humore integro manente, in tribus quatuorve fœtibus accurate obſervavit, eos non tantum modo os aperire, modo claudere, verum etiam linguam nunc retrahere, nunc palato applicare: & eodem tempore animadvertit, amnii liquorem ore aperto & lingua depreſſa ſe in faucium iſthmum inſinuare, eundemque lingua verſus palatum elevata per gulam ad ventriculum urgeri, abdomine vero illorum leniter compreſſo eundem liquorem ex ore iterum effluxiſſe. Objiciunt quidem fœtum non poſſe deglutire, quia non reſpiret, ſine reſpiratione enim neminem deglutire poſſe dicunt: quam infirmo vero hoc argumentum ſtet talo, facile non ſolum ex jam citato experimento patet, ſed etiam ex ſequenti: nimirum ſi quis poculum liquido quodam repletum admoveat ori, facile ille compreſſis naribus liquorem omnem ebibere poterit, ut nulla reſpiratione eo tempore indigeat: deinde nullam video rationem quare non muſculi pharyngis & oeſophagi modo dilatare, modo conſtringere ſe queant, quia hæc actio nulla ratione à reſpiratione dependet. Vt cœteras rationes brevitatis gratia jam praetermittam. Quo tempore vero embryo incipiat actionem deglutitionis peragere etiam adhuc incertum eſt. Putant quidem, quod tunc temporis incipiat deglutire, quando organa huic actioni deſtinata aliquam perfectionem fuerint aſſecuta. Quoniam vero in prima fœtus delineatione ſive rudimento ſine dubio foraminulum etiam pro ore futuro adeſt, quemadmodum foraminula ſive pori ſtatuuntur & admittuntur ab omnibus in radiculis placentæ uterinæ, illudque ſi proportionem oris ad

 mini-

minima placentæ vaſcula conſiderem, longe amplius, haud à veritate mihi alienum videtur, etiam liquoris illius, qui in ovulo mox à primo conceptionis principio continetur, æque per foraminulum oris, quam per longe minores poros placentæ vel funiculi umbilicalis intrare poſſe. Sed ne nimium à ſcopo meo extravagari videar, ad alteram partem hujus diſſertationis me conferam.

CAP. II.

PATHOLOGICVM

MORBOS DEGLVTITIONEM LÆDENTES EXHIBENS.

I.

COnſideratis organis deglutitionem perficientibus, modoque quo nobiliſſima hæc actio contingit perpenſo, jam ad morbos, quæ tam neceſſariam œconomiæ animalis functionem laedunt, aut prorſus deſtruunt, enarrandos atque examinandos progredior: ubi vero tam multi, tam magni atque tam graves ſeſe offerunt, ut, ſi omnes pro dignitate exponere, eorumque cauſas perveſtigare ſingulas vellem, integrum eumque haud parvum librum requirerent: adeoque ne limites diſſertationis tranſeam, nonnullos tantum eosque præcipuos breviter, attamen quantum *fieri* poteſt, perſpicue recenſere ſtudebo. Inter hos vero morbos, qui deglutitionem afficiunt male, aut impediunt, nonnulli vulgares ſunt, frequenterque occurrentes: alii vero rariores exiſtunt. Illos prius proponam, de his poſterius agam.

II.

Ex morbis igitur, qui frequentius in deglutitionis organis obſervantur, primo ſeſe offerunt *Inflammationes faucium*:

quæ

quæ nunc leviores ſunt, nunc vehementiores, variosque inflammationis gradus agnoſcunt, modo pauciores, modo plures partes occupant. Levior eſſe ſolet in uvulæ aut tonſillarum inflammatione, quanquam & hæ ſuas agnoſcant diverſitates & gradus, ita ut pro diverſa inflammationis vehementia modo facilius, modo difficilius deglutitio ſuccedat, cum magno tumore, dolore, rubore & loquelæ etiam impedimento, nunc majoribus, nunc minoribus. Vehementior vero longe, graviorque inflammatio in morbo *Angina* dicto fauces corripit: quippe in quo non ſolum partes modo nominatæ, verum etiam lingua, muſculi uvulæ, oſſis hyoidis, pharynx atque etiam ipſe larynx inflammantur, ſic ut non modo deglutitio, ſed & reſpiratio quoque lædantur, quæ quandoque ita intercipitur atque ſufflaminatur, ut ægris omnem tandem ſpiritum præcludat, eosque ſuffocet. In hoc tamen morbo quandoque magis organa deglutitionis imprimis pharynx, quandoque vero larynx magis patitur, ſic ut aliquando vel nullus, vel levis ſaltem tumor in faucibus appareat, ægri tamen reſpirare non niſi difficillime poſſint: adeoque hæc priori longe eſt periculoſior, quia deglutitione longe diutius carere poſſumus, quam reſpiratione. Oriuntur hæ quemadmodum aliæ inflammationes, a ſanguine his in partibus copioſius congeſto aut ſtagnante, unde quædam intumeſcunt partes, aliæ premuntur ac dolent, quo fit, ut debitas ſuas actiones haud perficere adeoque nec deglutire valeant. Non raro quoque *tumores in faucibus oriuntur pituitoſi*, ſpeciatim in uvula & tonſillis, quæ præcedentibus magis pallent, abeſtque tunc febris, quæ in illis præſertim in gravi angina vehementer ſæpe affligit. Cauſæ antecedentes & remotiores horum affectuum ſunt variae: modo enim plethorica corporis conſtitutio, quo ſanguis non ſolum copioſus, ſed etiam craſſus & viſcidus, aëre præſertim frigidiori accedente, his in partibus, ad quas cum impetu irruit, condenſatur & ſtagnat, modo haemorrhagiae narium, uteri, hæmorrhoidum aliæque

ſup-

ſuppreſſæ, modo ſanguinis miſſiones conſuetæ intermiſſæ, modo etiam cachectica ac pituitoſa ſanguinis diſpoſitio hos tumores facit: hæc frigidos, illa calidos producit: inordinata præterea diæta, potus præſertim frigidus corpore calente hauſtus, itemque ſubita refrigeratio, quando calemus, dum aër frigidior in fauces irruit, facile ejusmodi tumores concitat. iter quoque facientes tempore frigido, pluvioſo aut humido ac nebuloſo, imprimis etiam illi, qui vento adverſo equitant, præſertim ſi jam ad ejusmodi morbos diſpoſiti ſint, aut alias jam eis laborarunt, facile iisdem denuo corripiuntur. Ita crapula quoque non parum ad ejusmodi morbos producendos quamplurimum confert, ſuntque nonnulli, qui ſimulac vel leviter in vino bibendo excedunt, talibus tumoribus aut inflammationibus afficiuntur.

III.

Porro frequentioribus deglutitionis læſionibus merito annumerari poſſunt, ſi *Scirrhi* in tonſillis oriantur, a materia ſtagnante, tenaciori ac craſſiori, ubi non niſi difficillime ægri ob viarum in faucibus anguſtiam deglutire poſſunt. Præterea ad frequentiores deglutitionis læſiones refero *ulcera* faucium, quorum notabile exemplum recenſet HILDANUS cent. 1. obſ. 37. tonſillarum, uvulæ, palati ac linguæ, ſpeciatim etiam ea, ubi palatum ad nares usque exeſum ac perforatum eſt: qualia nuper duo exempla cum Cl. HEISTERO hic vidi, ubi ægris, niſi leniſſime & cautiſſime in deglutiendo procedant, liquida deglutienda mox per nares regurgitant. Quandoque hæc ulcera totam uvulam conſumunt & exedunt. Vitia hæc admodum frequentia eis ſunt, qui lue venerea vel laborarunt vel adhuc laborant, vel a nutricibus impuris veneno venereo infecti ſunt: quandoque tamen etiam ab aliis cauſis, a quibus ulcera in aliis partibus oriuntur (quas omnes hic commemorare nimis longum foret) proveniunt, a quibus ægri quandoque miſerrime afficiuntur.

Aphthæ,

Aphthæ, quoniam ulcuſculis ſuis non ſolum omnes oris partes verum ſæpe etiam totum oeſophagum obſident, deglutitionem quoque vehementer ſæpe lædunt; id quod & à *variolis* haud raro fieri ſolet: itemque à *vulneribus* variis oris, linguæ, maxillarum &c. Præterea deglutitio ſæpe læditur *à fruſto nimis magno*, qualia exempla vid. apud FOREST. l. 15. obſ. 28. ſchol. MARCELL. DONAT. lib. 3. Hiſtor. Med. cap. 8. HILDAN. Cent. I. obſerv. 35. SCHVRIG. chylologia p. 285. & ſeqq. itemque *à peregrinis, faucibus aut oeſophago impactis*, ut oſſe, ſpina piſcis, nucleo mali perſici, prunorum, nummo, aliisque ſimilibus rebus, quæ liberum tranſitum deglutiendis denegant. *Vva* etiam ſive *columella* tantopere ſæpe relaxatur à pituitoſis viſcidis humoribus, ut radici linguæ atque epiglottidi perpetuo incumbat, & deglutitionem magnopere impediat & quandoque etiam reſpirationem.

IV.

Ad rariores vero deglutitionis læſæ cauſas ſive morbos pertinet *Ranula ſub lingua*, de qua, præter alios, exempla vid. in TVLP. obſerv. lib. I. c. 52. FABRIC. *ab Aquapendente* oper. chir. qui tam ingentem vidit, ut omnes actiones oris labefactaverit, itemque in MARCHETTI obſ. med. chirurg. 31. qui exemplum habet *ranulæ ovi magnitudinem* æquantis, quæ deglutitionem atque reſpirationem valde lædebat. Præter ranulam vero alii adhuc tumores ſubinde in ore oriuntur deglutitionem impedientes: ita enim *tumorem gingivarum* durum, cartilaginoſum quaſi, mali punici magnitudine, extra os prominentem notavit ROVSSÆVS epiſt. med 7. *Tumorem carnoſum* durum ex palato propullulantem, linguamque ita prementem, ut nec loqui, nec cibum capere potuerit æger, vidit ROONHVYSEN obſ. med. chirurg. part. I. obſ. 21. *alium vero ex palato enatum* totasque fauces opplentem obſervavit BONETVS Biblioth. pract lib. 3. Sect. 4. obſ. 2. Similiter *carnem fungoſam* in ore excreſcentem, cibique ac po-

tus transitum impedientem descripsit MECKREN obs. med. chir. 14. *Prolapsum* vero sive *tumorem palati* TULPIUS lib. I. obs. 38. quo spiritus fere omnis adeoque & alimentorum transitus per os præclusus fuit. Ita & *Epulis* & *Parulis* in gingivis deglutitionem difficilem reddere possunt, de quibus morbis SCHELHAMMERI Dissertatio de *epulide & parulide* Jenæ olim habita prolixius videri potest.

V.

Columellæ absentiam in infantibus, qui quandoque ita nascuntur, magnum deglutitionis impedimentum producere, dum lac, quod sugunt, maximam partem per nares reddunt, præter alios notavit SALMUTH. Cent. 3. obs. 6. itemque G. W. WEDELIUS in Misc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. 5. obs. 5. Hujus quoque absentiam palatumque simul fissum una cum labio leporino aliquoties se jam vidisse in infantibus recens natis mihi retulit Cl. HEISTERUS quo factum est, ut miseri ejusmodi infantes, quia sugere adeoque & deglutire nequiverunt, brevi plerumque interierint: ubi tamen notamus solum uvulæ defectum deglutitionem non semper impedire.

VI.

Polypos è naso post uvulam in fauces propendentes deglutitionem lædere res est notissima atque conceptu facilis: talemque mirabilem octo pedibus, fauces & ambas nares replentem describit atque delineat TULPIUS obs. 26. lib. I. cartilagineæ naturæ ovi gallinacei magnitudinem habentem retulit MECKREN obs. 12. aliumque pessimi moris descripsit GARENGEOT Tr. des Operations de Chirurgie Tom. II. chap. 36. atque jam Magdeburgi fœminam vivere ab amico percepi, quæ magnum ejusmodi polypum quoque in faucibus gerit, à quo in alimentis capiendis magnum impedimentum percipit. Quandoque etiam *carnea quædam excrescentia* in pharynge aut ipso œsophago excrescit, quæ gulam obturat, & degluti-

glutitionem tandem tollit: quale exemplum habet SYLVIUS lib. I. cap. 5. aliudque notatu dignissimum ingentis talis excrescentiæ sive polypi in gula à nimio pulveris sternutatorii Hispanici, vulgo Spaniol, usu excitati refertur in *Act. Erud. Lipsiens.* An. 1715. pag. 457. ubi etiam excrescentia hæc delineata & morbus prolixe descriptus sistitur, qua deglutitio tandem prorsus sublata & æger fame sitique incredibili emaciatus misere mortuus est. *Tuberculum in media œsophagi parte* cancrosum deglutitionem impediens BONETTUS affert loco citat. lib. 3. Sect. 4. obs. 28. Ex *Caruncula* post ulcus venereum in œsophago orta deglutitionem læsam fuisse RHODIUS memorat Cent. II. obs. 46. Similia impedimenta à *scirrhis, Steatomatibus* & excrescentiis in gula recenset BLANCARDUS Coll. Med. phys. Cent. III. cap. 54. pluraque apud alios adhuc scriptores descripta prostant.

VII.

His subiungimus *tumores œsophagum externe comprimentes*, atque sic deglutitionem alimentorum pessundantes: ita *calli aortæ* descendentis meminit DODONÆUS, qui œsophagum in thorace ita compresserit, ut æger nihil fere cibi sumere potuerit, in not. ad BENIVENII Exempla medica lib. 30. *Aortæ aneurisma* œsophagum coarctans reperitur in Histor. Acad. Reg. Paris. An. 1700. *Thymum glandulam* tumefactam œsophagum arctasse BONETTUS scriptis consignavit l. c. Lib. I. S. 21. obs. 4. *Colli strumam cartilagineam* idem effecisse MECKREN autor est obs. 34. aliumque colli tumorem gulam ita obturasse, ut ne ferreum quidem specillum per eam transmittere licuerit, TULPIUS memoriæ prodidit lib. I. c. 44. *Glandulas dorsales*, quæ in postica œsophagi parte circa quintam dorsi vertebram sitæ atque naturaliter valde exiguæ sunt, quandoque etiam ita intumescere, ut omnem alimentorum transitum præcludant, sectione deprehenderunt TULPIUS loco modo citato, DIEMERBROECKIUS Anat. lib. II. cap. XVI. VERHEYENUS in Anat. cap. de Oesophago, & Cl. HEISTERUS in Comp.

Anat. §. 389. Ita & *à luxata vertebra colli* œſophagus comprimitur & anguſtatur ut ægri tales deglutire nequeant. Notabile quoque exemplum proſtat in VALSALVÆ Tr. de Aure humana p. m. 30. de oſſe hyoide in ſuis appendicibus luxato à deglutito craſſiori bovillæ carnis non bene manſæ bolo, & ſic pharyngem comprimente.

VIII.

Paralyſis muſculorum pharyngis & œſophagi efficit quandoque, ut hi cibum ad ventriculum protrudere nequeant: cujus exempla vid. apud TULPIUM lib. I. c. 42. WILLISIUM Pharmac. rational. part. I. Sect. II. cap. 2. STALPART *van der* WIEL obſ. 27. part. 2. BONETTUM loco citato, aliosque, qui & contractionis ſpaſmodicæ œſophagi, ob fibrarum ejus carnearum convulſionem meminit lib. 3. Sect. 4. obſ. I. Anguſtiam quoque ſummam œſophagi poſt febrem ardentem reperit RHODIUS Cent. 2. obſ. 48. ita ut gula aperto cadavere aquam non tranſmiſerit. Ejusdem poſt exulcerationem *coalitum* SYLVIUS retulit lib. I. cap. 5. Totum œſophagum à clavicularum regione tantum quantum in *cartilaginem* mutatum neque pervium, niſi cavitate valde minuta vix ſetam porcinam admittente notarunt Miſc. Nat. Cur. Ann. 13. obſ. 70. callumque in eo Otto HEURNIUS obſervavit obſ. 30. *Oeſophago vulnerato* imprimis ubi in thorace hæret, deglutitio tollitur, nam aſſumpta non in ventriculum pervenire poſſunt, verum in cavum pectoris delabuntur. Idem etiam factum eſt in ægro, cui in vomitu œſophagus in thorace fuit ruptus, quæ memorabilis obſervatio à BOERHAVIO peculiari libello, titulo *Hiſtoria morbi atrocis* expoſita eſt. Alia fere ejusmodi valde notabilis ab HEISTERO in ultimis Actis Medico-phyſicis Academiæ Natur. Curioſ. volum. I. pag. 392. deſcripta eſt, ubi absque violentia externa, ſed ut videtur, ex prægreſſa inflammatione & ſphacelo œſophagus perforatus eſt, atque aſſumpta in cavum thoracis influxerunt. In MAR-

CEL-

CELLI DONATI præterea Hiſtoria medica lib. III. mirabiles deglutitionis læſiones litteris conſignatas legimus, ad quem auctorem prolixitatis evitandæ cauſæ ſi omnes exſcribere vellemus, lectorem ablegamus: ibi enim cap. III. *miræ gurgulionis inflammationes.* cap. IV. *linguæ miri tumores.* cap. V. *verrucæ in gutture*, cap. VI. *anginæ mirabiles.* cap. VIII. *œſophagi obturationes miræ* deſcribuntur; itemque *à* SCHENCKIO *in obſervationibus ſuis.* BONETTO *in Sepulchreto Anatomico* ex quibus: quam multis modis hæc adeo neceſſaria nobis actio lædi poſſit, abunde cognoſcitur. *Oeſophagi vero inflammationes* tam vehementes notarunt HILDANUS cent. V. obſ. 35. & DODONÆUS exempl. med. cap. 17, ut neque potus neque cibus ullus ad ventriculum deſcendere potuerint.

IX.

In Ephemerid. Nat. Curioſ. Cent. VII. obſ. 61. à LENTILIO notabile exemplum narratur mulieris, quæ omnia eſculenta & potulenta deglutire potuerat, excepta ſola *conſecrata hoſtia* in ſacra cœna: quam faucibus ingeſtam vomitu ſemper rejicere cogebatur idque per longum tempus. Alius ibidem *à fumo nicotianæ* hauſto in magnam deglutitionis difficultatem incidiſſe refertur: quo tamen in caſu dubius hæreo, utrum ſymptoma hoc à fumo nicotianæ an ab alia cauſa ortum traxerit, quia nulla convenientia argumenta, quibus hoc evinceretur, proferuntur, & tam multi ſunt ubique, qui fumo hoc delectantur, & tamen nullo deglutitionis impedimento afficiuntur: male enim ſæpe concluditur, *poſt hoc, ergo propter hoc.* nam ab aliis multis cauſis oriri potuit. Præterea in Ducatu hoc Brunſvicenſi Nobilem eumque jam ſenem vivere a Cl. HEISTERO percepi, qui jam à longo tempore *omnia deglutire poteſt, excepto ultimo ſemper bolo:* qui ab uno ſæpe paſtu ad alterum ſine notabili incommodo in faucibus hæret ac remanet, donec in ſubſequenti vel protrudatur, vel altera die cum ſcreatu aut levi tuſſi rejiciatur. Præ-

cedentem bolum ſemper à ſubſequenti pelli deorſum refert, ultimum vero, ut modo dictum eſt, in faucibus remanere. Multa multorum celeberrimorum Medicorum hac de re conſilia petiit atque accepit, verum nullus forte adhuc veram hujus phænomeni cauſam, multo minus remedium dare potuit, quo à tædioſo hoc ſymptomate prorſus liberaretur. *Ab uſu incauto Mercurii* deglutitionem & loquelam ſæpe lædi, nonſolum in Miſc. Natur. Cur. Dec. II. Ann. VI. obſ. 107. indicatur: verum frequens obſervatio etiam hoc docet: dum inde tonſillæ aliæque faucium glandulæ, ipſa lingua, imo ſubinde totum caput enormiter intumeſcunt. Varia adhuc alia deglutitionis impeditæ exempla atque obſervationes notatu dignas, poſtquam præcedentes jam collegeram, atque pro prelo conſcripſeram, deprehendi in SCHVRIGII *Chilologia*, quæ nunc demum in manus meas incidit p. 256. & ſeqq. ad quem librum B. L. qui plura ſcire deſiderat, remitto, quia mihi tempus non ſupereſt, ut ea omnia excerpere poſſim.

CAP. III.

THERAPEVTICVM

CVRATIONEM MORBORVM DEGLVTITIONEM LÆDENTIVM DOCENS.

I.

QVoniam Medico non ſufficit noſſe partium corporis humani fabricam earumque læſiones & morbos, verum etiam ſimul, imo quam maxime requiritur, ut eorum curationem quoque, ſive modum, quo eos tollat aut ſanet, rite ſciat: vel, ſi inſanabiles, ut & hoc probe intelligat, ne fruſtra eos curandos aggrediatur & ſuſcipiat: aut in prognoſi facile erret, & curare promittat morbos, qui tamen deſpera-

ſperati ſunt, & curationem nullam admittunt, atque ſic hoc ægris, aut amicis, vel adſtantibus prudenter ac mature indicet, ne poſtea, ſi res præter expectationem male cedat, homines cognoſcant, Medicum morbum falſo facto prognoſtico non recte intellexiſſe. Quapropter operam nunc dabimus, ut morborum horum, qui ſanari poſſunt, curationem maxime idoneam ac rationalem hic tradamus, ac deinde etiam eos, quos immedicabiles eſſe, experientia, ratio, atque obſervationes docuerunt, ſimul indicemus.

II.

Inter morbos harum, de quibus agimus, partium ſanabiles *faucium inflammationes* ſe nobis primum offerunt: quæ cum in congeſtione aut ſtaſi ſanguinis abundantis craſſi & viſcidi plerumque conſiſtant, ſive ſint in uvula, ſive in tonſillis, pharynge, aut lingua, ſeorſim ſive in variis hiſce partibus ſimul, conducunt interne omnis generis blanda diaphoretica ac reſolventia, ut Eſſ. Pimpinell. alb. Scordii, aliæve ſimiles Diaphoreticæ, Alexipharmacæ aut Bezoardicæ dictæ cum infuſo vel decocto aqueo herbæ Theæ, Veronicæ. Scordii vel Salviæ &c. bis, terve in die, & ſpeciatim mane in lecto, cum regimine blando ſudorifero uſurpatæ: quod egregie promovetur, ſi larga ejusmodi infuſorum vel decoctorum copia ſenſim ſenſimque calide ſuperingeratur: qua methodo ſubinde mox primo alterove die nonnullæ harum partium inflammationes, dolores & tumores in faucibus, tonſillis & uvula reſolvuntur atque ſanantur. Circa veſperam, itemque circa ſomni tempus magno cum fructu ægris pulveres diaphoretici, reſolventes ac temperantes, ex Lap. Cancr. citratis, Conchis citratis, Salibus mediis, ut Tartaro Vitriolato, Arcano duplicato itemque Nitro depurato vel antimoniato, ac Cinnabari nativa vel Antimonii ex Aquis Diaphoreticis, quales ſunt Aqu. fl. Sambuc. Galegæ Scord. Card. bened. C. C. Citrata &c. exhibentur.

III. Ægris

III.

Ægris vitandum eſt frigus, quia reſolutionem impedit, & coagulationem ac ſtagnationem humorum auget. Quam ob rem collum & genæ linteo complicato calido cum vel ſine ſale calido involvantur in malo leviori: in graviori vero præſtat ſacculos ex Herbis reſolventibus, ut Herb. Origan. Serpilli. Roriſmar. Satureiæ. Menthæ. Majoran. &c. Flor. Chamomill. Melilot. Sambuci &c. Camphora impraegnatis, vel Spir. Vini Camphorato calido irroratis applicare. Solus etiam Sp. Vin. Camphorat. calide cum linteo ab radicem linguæ & regionem tonſillarum externe illitus aliquoties in die, vel cum linteo complicato impoſitus egregie ſæpe conducit, præſertim ſi poſtea ſacculus ſale, vel Furfuribus tritici, vel farina calida plenus, aut ipſi ſacculi herbarum ſuperimponantur modo laudati. *Emplaſtrum* de Meliloto Camphora præſertim largiter impraegnatum, & calide collo circumpoſitum, potenter quoque reſolvit ac diſcutit, maxime ſi aliquis ex ſacculis antea indicatis calide ſæpius circumjiciatur, quo vires ejus reſolventes valde augentur. *Gargariſmata* quoque hic non negligantur reſolventia atque æſtum ſive ardorem in faucibus temperantia; quale egregium, ſimplex quidem, ſed præſtantiſſimum uſuque probatiſſimum habet Cl. HEISTERVS ℞. Auric. Jud. ſive Fungi Sambuci ʒij
coq. in ſ. q. Aqu. Simpl. per ¼ horæ
colatur: ℞ ℥viii. adde
Syr. Mororum ℥j
Nitri depurati ℈ii
Alumin crud. ʒß. M.

quo decocto fauces ſæpe calide gargarizentur, vel etiam quandoque cum ſiphone caute injiciatur. Alia fieri poſſunt ex decoct. flor. malvæ. roſarum. Sambuc. Liguſtri, vel ſeorſim vel combinatim ſumtis, quibus eadem aut ſimilia addi poſſunt, ingensque eorum varietas apud autores deprehenditur.

IV.

Diætam ægri ſervent tenuiſſimam, ſi cito curari volunt nihilque niſi juſcula tenuia, temperantia, ſpeciatim ex hordeo, avena, aut farina parata, loco cibi aſſumant, quorum priora Succo Citri vel Aceto vini ad gratum ſaporem imprægnata, egregie ſimul æſtum internum temperant. *Potus* ægro, quam diu adhuc deglutire aliquo modo poteſt, concedatur tenuis, aquoſus & largus, ſed vel calidus vel ſaltem valde temperatus: frigidus enim valde nocet, atque ex levi inflammatione facile gravem aut prorſus lethalem efficere poteſt. Itaque ante omnia conducunt infuſa vel decocta illa aquoſa ſupra laudata ad modum Theæ calide ſæpius ſorbillata: quibus ſubinde cereviſia tenuis defecata, ubi habetur, interponi poteſt, non frigida. Aut ubi hæc non proſtaret, utiliſſimum decoctum his in morbis & quamplurimis aliis, ubi æſtus temperandus & humores viſcidi ſtagnantes reſolvendi, conficitur ex Hordeo excorticato & paſſulis minoribus diu probeque coctis, cujus colaturæ additur pauxillum vini rhenani, quarta circiter pars, & ſachari quantum ſufficit ad gratiam: atque hoc decoctum haud ingrati ſaporis pro lubitu, tamen ſæpius loco potus ordinarii calide aut tepide, aut moderate frigide bibat. Neque metuendus hic eſt æſtus a vino admixto, quippe quod copioſa aqua ſatis temperatum eſt. Quibus Citri ſapor acceptus, aliquot taleolos citri pro lubitu adjicere poſſunt. ita enim hic potus egregie diluit, reſolvit, æſtum temperat, ſitim minuit, diaphoreſin promovet, atque ſic omnibus indicationibus egregie ſatisfacit.

V.

Si *alvus non ſuccedit*, quemadmodum ſæpius his in caſibus fieri ſolet, idoneum laxans ægro exhibendum: ita enim a faucibus ad inferiores partes utiliſſima fit revulſio, inteſtinisque a fecibus præſertim induratis liberatis, motus ſanguinis per abdominis viſcera aliasque partes inferiores liberius fieri poteſt; quo fit, ut impetus ejusque congeſtio a capite

revocetur, tumoresque inflammatorii in faucibus minuantur, tandemque sæpe brevi post omnino resolvantur. Minime autem hic conveniunt purgantia acriora, calefacientia aut resinosa, aut quæ Aloë & Myrrha larga copia ingreditur: verum cæteris præferrem potiunculam purgantem *Sydenhami*, vel Aquam Laxativam mannagetæ, aut aliam similem ex temperatis, Tamarindis nimirum, foliis sennæ, Rhabarbaro & Manna confectam, quæ blande alvum evacuant, nullumque orgasmum in sanguine concitant. Si difficilius jam deglutiant, aut purgantias ægre assumant, clysmata etiam idonea horum loco adhiberi possunt.

VI.

In malo paulo pertinaciori, quod prædictis non mox cedit, præter hæc, Cl. HEISTERUS qui sæpe tonsillarum & uvulæ inflammatione olim affectus est, *scarificationes* sive *cucurbitulas cruentas* non solum dorso, verum etiam extus regioni tonsillarum utrinque mox sub angulis maxillæ inferioris tam in se, quam in aliis in ejusmodi morbis utilissimas deprehendit: quippe quæ potenter revellunt & simul satis largam sanguinis crassi & viscidi copiam educunt atque evacuant, ut reliquus postea facilius dilui, resolvi & in naturalem circulum redigi possit. In vehementiori ejusmodi malo Joseph VALLISNERIUS vesicatorio suturæ coronali apposito, cæteris frustra adhibitis, mulierem ab instanti mortis periculo se liberasse affirmat. Ephem. Nat. Cur. Cent. VII. & VIII. Qui a cucurbitulis forte abhorrent, ut fieri quandoque solet, venæ sectio substitui posset, vel in brachio, vel, quam adhuc magis proficuam censerem, in pede, quæ præsertim, si pedes prius aquæ tepidæ aliquamdiu immissi fuerint, motum sanguinis a capite & faucibus adhuc fortius revocat.

VII.

Quando vero hæ inflammationes sunt vehementiores, & cum deglutitione læsa plus minus respirationem impediunt,

unt, tunc proprie ANGINA appellantur, qui morbus eſt acutiſſimus atque periculoſiſſimus, non tam propter deglutiendi facultatem læſam, quam propter ſpirandi difficultatem: quia in ea ſpiritus non tantum impeditur, ſed haud raro prorſus tollitur, ægerque vere ſuffocatur. Adeoque quia ex ſpirandi potius, non vero ex deglutiendi facultate læſa hi ægri tam periculoſe plerumque decumbunt, cognoſcitur inde organa magis reſpirationis quam deglutitionis affici, atque ſic morbum hunc ad noſtrum ſcopum proprie non pertinere. Interea tamen quia in vera angina deglutitionis actio ſimul quoque læditur, paucis, quantum fieri poteſt, quomodo curanda ſit, dicemus.

IIX.

Interne & externe eadem prorſus exhibenda eſſe cenſeo remedia, quæ in præcedentibus ad tonſillarum, uvulæ aliasque faucium inflammationes commendavi, & ſolum hic moneo, quod medicamenta diluentia, reſolventia, temperantia, inprimis potus laudatos, quamdiu bibere & aliquid deglutire poſſint, frequentius aſſumant, corpusque tranquilliori continentia inlecto adhuc magis & curioſius ad diaphoreſin atque reſolutionem diſponant. Deinde in hoc morbo mox ab initio, clyſtere præmiſſo, ſanguinis miſſionem per venam ſectam primo in brachio vel pede, eamque ſatis largam, adhibendam eſſe duco, qua in tonſillarum aliisque levioribus faucium inflammationibus utplurimum ſuperſedere poſſumus. Poſtea vero quando in augmento morbi deglutitio adhuc magis læditur, ut vix ac ne vix quidem potus aut medicamenta amplius aſſumi poſſint, tunc externis potiſſimum auxiliis, iisque quandoque ſolis ſuccurrere cogitur Medicus: Inter quæ vero potentiſſima atque efficaciſſima eſſe exiſtimo V. S. iteratam, nunc in pede, nunc in brachio, nunc in ipſo jugulo, ſanguisque ſemper larga ſatis copia educatur, adhibitis interea frequenter clyſteribus emollientibus, temperantibus, revellentibus, itemque laudatis gargariſmatibus, emplaſtris, epithematibus, nec non ſca-

 rifi-

rificationibus in dorſo aut humeris, ut & ſub angulis maxillarum, ipſisque tonſillis inſtitutis, & ſi hæc omnia nondum ſufficerent, quod tamen raro in ægro morigero continget, *venæ* etiam *raninæ* ſub lingua aperiantur, prædictis interea ſemper continuatis. Sin vero ſuffocationis periculum immineret, intrepide atque in tempore ad *Tracheotomiam* ſive ſectionem fiſtulæ ſpiritalis tanquam ad ſacram anchoram confugiendum eſſe multis cum graviſſimis judico, ne æger fato ſuo certæve neci relinquatur : cum plures jam, ut autores fide digniſſimi ſcriptis reliquerunt, extremo hoc remedio reſtituti & ex orci faucibus quaſi erepti ſint. Quomodo vero ea fieri recte debeat, brevitatis cauſa B. L. ad JVL. CASSERIVM cap. de Bronchotomia. MANOVII Bronchotomiam, Clar. HEISTERI Chirurgiam cap. de Bronchotomia. GARENGEOT Tr. des Operat. de Chirurg. chap. 32. de l' operation de la Bronchotomie, aliosque chirurgicos ſcriptores remitto.

IX.

Quando vero inflammatorii faucium tumores ad *ſuppurationem* vergunt, quod cognoſcitur, ſi tumor poſt quatuor vel quinque dies non minuatur, ſed potius indies cum deglutiendi difficultate augeatur, tenſionesque dolorificæ per totum ſæpe caput, præſertim vero per aures ſeſe extendant, ſpirandi facultate vel omnino ſalva, vel utcunque ſolum læſa, tunc maturatio omni modo eſt promovenda, maturatus abſceſſus aperiendus & poſtea ulcus rurſum conſolidandum. Hunc in finem extus collo ſæpius applicanda ſunt cataplasmata emollientia, vel ex herbis ac radicibus emollientibus, vel ex mica panis cum butyro & lacte coctis, addito pauxillo Croci, vel ex cepis ſub cineribus aſſatis, parata. Intus in ore ſæpe lac detineatur calidum, in quo ficus coctæ : quæ etiam medium diſſectæ & aſſatæ intus tumori continuo admotæ egregie emolliunt & ſuppurant. Idem lac etiam ſæpe ſiphone ad locum læſum, ubi tumor quam maxime eminet, impellatur, quo fit, ut abſceſſus maturus quandoque

citius,

citius, quam alias fieret, rumpatur, atque sic æger citius à crudelissimis doloribus liberetur.

X.

Quod si vero hoc non fiat, ægerque misere patiatur, doloresque acerbissimos, ut contingere ut plurimum solet, persentiscat, opera danda, ut *Scalpello*, si tuto fieri queat, aperiatur. Monemus vero hoc tam facile non esse ac multi sibi fingunt atque existimant, qui hoc nunquam præstiterunt, credentes, fauces semper ita patere, atque ad eas tam liberum aditum ac in sanis, ubi uvulam & tonsillas facile videre possumus: magnæ enim hic adsunt difficultates, quæ impediunt, quo hoc levi perfici negotio non possit: Nam propter inflammationem atque tumores ægri maxillas non diducere, adeoque etiam os ita aperire nequeunt, ut ad fauces libere inspicere queamus, sed apertura inter dentes utriusque maxillæ tam angusta est, atque lingua sæpe simul tam tumida, ut tonsillas vel abscessus vel prorsus non, vel vix ex parte videre, multo minus congruis instrumentis ad eos accedere valeamus. Quam ob rem cauto opus est: & si abscessus vel non conspiciatur, vel ad eum liber aditus non detur, negotium potius naturæ patienter relinquendum, quam intempestiva aut temeraria sectione aut punctura ægro jam satis afflicto novos ac plures adhuc concitare dolores, aut his ipsis nova eaque adhuc pejora mala producere: exempla enim mihi retulit Cl. Heistervs ubi in ejusmodi casibus chirurgi aperturam abscessus tentantes, alium locum inciderunt, unde non pus, sed merus sanguis effluxit, ægrique non modo nullum inde levamen, sed potius novos majoresque dolores, novas inde ortas inflammationes in acceptum retulerunt, expectandumque ipsis postea fuit, donec abscessus sponte fuerit ruptus; quod circa octavum vel novum morbi diem plerumque contingere solet. alias vero, quando ægri maxillas satis diducere valent, locusque sectioni opportumus, qui digito, ubi mollis perci-

 pitur

pitur tumor, exploratur, cognoſcitur, ſpatha deprimitur lingua, & phlebotomum, quod lanceolam vulgo vocant, in abſceſſum caute intruditur, vel peculiari & à Clar. HEISTERO primum deſcripto inſtrumento (vid. ejus Chirurgia Tabul. XV. fig. 13.) quod & ſpathæ & lanceolæ vices ſimul præſtat, aperitur. Ad cujus normam aliud paulo incurvatum deſcripſit GARENGEOT Tr. des Inſtruments de Chirurgie Tom. I. p. 391. quibus tamen omnibus, ſi locum rite aperiendum videre non poſſumus, ſæpe nihil boni efficitur.

XI.

Loco vero ſive ſponte ſive artibus dictis aperto, dolores quidem mox minuuntur, ac deglutitio facilius ſuccedit; attamen morbus nondum curatus, neque deglutitio libera omnino reſtituta eſt, verum oportet ut *ulcus probe purgetur*, & deinde rurſus conſolidetur: id quod decocto aliquo herbæ cujusdam vulnerariæ, ut Sanniculæ, Plantag. Agrimon. Millefol. Bellidis &c. melle roſato roborato fieri poteſt, ſi loco gargariſmatis ſæpe adhibeatur, & quandoque ope ſyringæ ad ulcus injiciatur, quo ſatis plerumque facile & ſæpius intra biduum vel triduum conſolidatur, ægrique qui ante triduum morti vicini habiti fuerunt, jam libere deglutiunt, integræque ſanitati reſtituti ſunt. Atque ſic inflammationes & abſceſſus, deglutitionem lædentes, optime tractantur, atque curantur. Proximum jam eſt, ut quid in tumoribus faucium pituitoſis ac frigidis faciendum ſit, diſpiciamus.

XII.

In *tumoribus* igitur *pituitoſis*, *frigidis*, qui ſæpe uvulam & tonſillas male afficiunt, ubi tumores minus ſunt rubicundi, minus plerumque dolent, abeſt febris, pituitam vero viſcidam ac tenacem ægri ſæpe rejiciunt, quæ omnia indicant, humores ejusmodi pituitoſos in his ægris abundare, ſerumque nimis viſcidum hic peccare. Hi morbi licet ſatis ſint moleſti, minus tamen periculi fovent, raroque ægri inde moriuntur, cum inflammatorii ſint periculoſiſſimi. In curatio-

ne

ne igitur hoc ſerum partim corrigendum, partim evacuandum eſſe cenſeo. Evacuationem vero hic ſanguinis miſſionibus haud bene perfici credo, quia ſanguis proprie dictus non peccat, ægrique hi magis pituitoſi ſint temperamenti quam plethorici. Rectius vero purgantibus, ſudoriferis ac diureticis, quæ in ſeri vitia longe potentius agunt, quam illæ, fieri id poſſe judico, adeoque ejusmodi ægris apta doſis Pillularum vel de Succino Cratonis, vel Extr. Panchym. Croll. vel Balſamic. Becheri, vel Tartar. Quercet. aliarumve ſimilium opportuno tempore danda, ſi eas adhuc deglutire valeant. Sin minus, Sales illos amaros catharticos, ut Anglicanum, vel Bohemicum, aut qui ad horum imitationem ex Sale marino & Sp. Vitrioli parantur, exhiberem, utpote quæ potenter ſerum educere, atque ſimul pituitoſos humores reſolvere ſolent. Deinde vero ad eundem reſolvendi ac ſimul vel per ſudorem aut urinam evacuandi ſcopum, egregie hic valent Decocta Lignorum, vel etiam ſolius Ligni Saſſafras infuſum: quæ bis terve in die calide bibenda, & quidem matutino tempore in lecto, corpore ad ſudorem diſpoſito; quo tantum ſæpe efficitur, ut unico largo ſudore, potu tali aquoſo calido producto, tumores hi pituitoſi diſſipentur, & deglutitio libera reſtituatur. In graviori malo, vel ut tanto certior ſequatur effectus, Eſſentia quædam diaphoretica, ut eſſ. Lignorum. Pimpinell. Contrayervæ, Succini &c. ſimul cum decocto ad gutt. 30. 40. ſumenda eſt: vel Mixtura quædam diaphoretica ex Aqu. Diapnoicis cum antimon. diaphoret. Lap. Cancr. citrat. Reſina ligni Guajaci &c. danda: in leviori vero malo ſolius herbæ Theæ infuſum ad ſudorem usque in lecto ſenſim hauſtum ſæpius ſufficit, ſatisque egregium effectum præſtat: quo ſimul etiam os ſæpe collui, & loco gargarismatis adhiberi poteſt. Alias valde idoneum in hisce malis gargarisma paratur ex Aqu. fl. Sambuc. ℥ vi. & Spir. Vini ℥ j. vel jj, quod egregie reſolvit & partes relaxatas roborat. Extus eadem collo circumponi poſſunt, quæ N. III. laudavimus.

XIII.

Si Scirrhi in Tonsillis deglutitioni remoram pariunt, quia ab eadem causa, viscidis scilicet ac pituitosis humoribus proveniunt; (sive inflammatio præcesserit, ut sæpe fit, sive non præcesserit.); iisdem etiam remediis, sed diutius continuatis, resolventibus scilicet, diaphoreticis ac diureticis, interpositis frequenter purgantibus præsertim mercurialibus curandi. Extus Empl. Diaphoret. Mynſ. aut de ranis cum dupl. mercur. adhibendum, & si his satis diu continuatis non cedant, leni salivatione, vel alio Mercurialium prudenti usu, si non nimis inveterati, sæpe resolvuntur. Sin vero nec his removeri queant, vel per caustica, vel si necessitas urgeat per sectionem auferendi, qua de re vid. Chirurgia Cl. Heisteri, aliique scriptores chirurgici.

§. XIV.

Si *ulcera* in faucibus, causa rite inquirenda est, antequam curatio suscipiatur, alias parum vel nihil proficimus. Si enim à venerea infectione, aliis medicamentis non sanantur, nisi hæc prius è sanguine congruis aut specificis contra venerea mala remediis eliminetnr. Quapropter hic opus Decoctis & Essentiis Lignorum aliisve similibus in morbis venereis usitatis, ac diu continuatis, quibus sæpius purgantia mercurialia interponenda. Extus Melle rosato & Spir. Vitrioli acuato prius mundari, & postea vel eodem melle vel ol. Myrrhæ per deliq. vel Ess. Succini consolidari debent. Quandoque vero malum altiores in sanguine egit radices, ut non nisi Salivatione mercuriali cedat. Si palatum in nares usque perforatum est, utplurimum foramina ejusmodi nulla arte rursus consolidari possunt, sufficiatque tunc, si modo dictis remediis & methodo caries sublata, ossaque carne sana rursus obducta fuerint, ne malum ulterius serpat: sique postea foramina illa tanta, ut, deglutitionem adhuc lædant, lamina argentea, vel aurea spongiola armata, obturanda: qua de re videatur Scultetus, aliique scriptores chirurgici.

gici. Sin vero hæc ulcera ab alia, quam venerea, oriantur caufa, atque adhuc recentia fint, quemadmodum abfceffus recentes tonfillarum curari poffunt, eodemque etiam modo *Aphthæ* fanari folent. Quando vero jam inveterata, atque vel cachecticam vel fcorbuticam agnofcunt difpofitionem, iisdem remediis, quibus venerea curari diximus, fed fine falivatione, ut plurimum claudi poffunt. Interdum tamen & hac opus eft, quia ea ipfa etiam alia ulcera rebellia ac contumacia v. gr. in pedibus aliisque locis, fæpe curantur: quæ fine hac nullis quandoque remediis fanantur.

XV.

Quando in *Variolis* deglutitio male fuccedit, præ omnibus debitum his regimen & methodus congrua obfervetur: fauces deinde fæpe decocto avenæ calido gargarizandæ, crocus & camphora facculo inclufa collo circumliganda, ac denique fufficiens & frequens potus calidus fumendus. Si ob læfionem à *vulneribus* deglutitio impediatur, hæc convenienti methodo fananda. *Frufto nimis magno, aut peregrinis quibuscunque faucibus impactis*, quando hauftu largo femel iterúmque affumto, aut bolo alio deglutito non cedant, inftrumento idoneo, vel candela cerea flexili, vel ex offe balenæ flexili, fpongia in apice inftructo, vel excutia ventriculi aliove idoneo inftrumento caute ad ventriculum detrudantur; cavendumque ne nimis diu ibi relinquantur, quia alias nonnunquam inflammationes & gangrænam oefophagi, imo ipfam mortem produxerunt: ut apud HILDANVM Cent. V. obf. 35. videre eft. *Vvula nimis* relaxata, fi gargarismatibus adftringentibus & roborantibus, aut gargarizando cum Spir. vini vel Aqu. Regin. Hung. pauca copia aquæ temperata aliisve fimilibus in ftatum naturalem reduci nequeat, vel forfice pars nimis longa & lædens, vel peculiari hunc in ufum invento inftrumento, quod Cl. HEISTERVS in Chir. Tab. XV. fig. 8. delineavit, provide refecetur.

XVI.

Ranula fub lingua, fi materia p. n. in membrana aut folli-

 culo

culo contenta, & ſimul ac ſemel extirpari poteſt, optimum eſt, ut cauta peritaque manu tota extirpetur: ſin hoc tuto fieri non poſſit, aperiatur membrana ſectione horizontali, materia evacuetur, folliculus attactu ſpir. Vitrioli frequenti, aut alterius ſimilis medicamenti deſtruatur & conſumatur, ac poſtea Melle roſato vel oleo myrrhæ per deliq. conſolidetur. Si loco tumoris tunicati eodem, quo ranula oritur, loco *tumor inflammatorius* aut *abſceſſus* oriatur, curandus eſt, ut ſupra de faucium tumoribus & aſceſſibus dictum eſt. Quo ipſo etiam modo *parulis* ſive abſceſſus gingivarum, qui quandoque pugni magnitudinem æquant, ſanatur. *Tumores ex gingivis* propullulantes, qui *epulides* dici ſolent, *iique, qui ex palato veniunt*, ſi molliores, lenioribus cauſticis, ut ſolutione ſalis ammoniaci, aut tartari, vel ſolutione ☿ vivi in ſp. Nitri non raro auferuntur, ſi ſæpius eo ſcite tangantur. Sin vero duriores, aut cartilaginei, non niſi ſectione tolli poſſunt, & curatio poſtea per balſamica perficienda. *Prolapſus ſubitaneus palati* periculoſiſſimus apud TULPIUM lib. I. obſ. 38. ſola ſcalpelli inciſione, effuſa multa aqua, detumeſcenteque mox palato ſanatus, ægerque morti vicinus ſervatus eſt. *Columella deficiens* arte reſtitui non poteſt. Cum vero infans ita natus, uſitato modo lac ex uberibus ſugere non potuerit, ſuaſit WEDELIUS ut papilla profundius ori infantis immergeretur, quo linguæ concurſu facilius deglutire poſſet: quo factum eſt, ut puella hæc hoc modo ſenſim ſugere diſceret, & conſervata fuerit. vid. Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. V. obſ. V. Quando vero cum defectu uvulæ totum palatum fiſſum, atque ſimul labium leporinum adſit, tunc ſuctio ac deglutitio fieri non poterunt; ideoque malum eſt immedicabile.

XVII.

Polypi narium ad fauces dependentes, non niſi forcipis recurvæ ope, fortique manu ſæpe aufferri poſſunt. attamen quandoque nulla vi extrahi queunt, ut MECKREN obſ. XII. teſtatur, ſed forfice eum reſecare coactus fuit. Quan-

do

do carnea quædam *excrescentia in faucibus* hæreret, quæ videri possest, eodem modo forfice excidenda esset; *ubi vero profundius in oesophago* latet, ut in exemplo Lipsiensi N. VI. cap. II. relato, ubi accessus non datur, nulla etiam curatio locum habet: & hoc etiam propterea, quia morbum ante cadaveris sectionem ne quidem cognoscimus. Id quod etiam sentiendum *de tuberculis, carunculis, verrucis, scirrhis & steatomatibus in oesophago* eodem loco supra relatis: itemque *de callo & aneurismate aortæ, ac thymi glandula gulam comprimente*, ut & *de glandulis dorsalibus, callisque oesophagi* canalem hunc angustantibus, ac sæpe omnino claudentibus.

XIIX.

Paralysis musculorum gulæ, ut omnis alia paralysis difficillimæ est curationis. Interna vix usurpari possunt medicamenta, nisi externa, quia ea deglutire nequeunt. Externe igitur tentari possunt omnis generis nervina ac roborantia, quæ in aliis paralysibus proficua observantur: ut Sp. formicar. Lumbricor. Rorismar. Vini Camphorat. Salis ammoniaci. Spiritus & liquor C. C. succinat. Aqu. Anhaldina, aliaque similia. Gargarismata simul adhibeantur ejusdem fere naturæ, imprimis etiam aqua salviæ fl. Paralyseos cum vino, sicuti in linguæ paralysi, ita & hic prodesse poterit. Similiter Pulv. Aureus Cellensis, elæosaccharum cinnamomi, caryophillorum, aut lavendulæ cum Sale vol. Succini mixta, ore dissoluta & ad fauces demissa, multum hic præstare possunt. Taceo jam vesicatoria capiti, nuchæ & sub auribus applicata, setacea in nucha, & quæ alias in paralysi efficacia deprehensa sunt. Ne vero ægri interea dum deglutire nequeunt, fame pereant, CAPIVACCIUS lib.I.cap. 54. tubulum commendat peculiarem specie infundibuli, quo per os in oesophagum usque immisso, alimenta fluida, juscula, lac & similia infundi poterunt, donec æger a paralysi illa periculosissima rursus liberetur. Adhiberi etiam hic simul possent enemata nutrientia ex jure carnium cum sale,

poſtquam primo clyſmate purgante alvus fuit elota, omniaque facienda, quæ ægrum conſervare & a paralyſi hac liberare poſſunt.

XIX.

In ſpaſmodica oeſophagi contractione antiſpaſmodica, pulveres antiſpaſmodici nitroſi, cinnabarini, demulcentia oleoſa, aquea, mucilaginoſa extus intusque opponenda. *Oeſophago vulnerato*, ſi vulnus eſt in thorace, quia omnia, quæ curandi cauſa interne exhibentur, in cavum thoracis effunduntur, pulmonem premunt, reſpirationem lædunt, & tandem putreſiunt, ex arte nullum novi remedium, niſi forte fortuna ſponte illud vulnus, ſi parvum eſt, coëat. Multo minus medela fuit ſperanda in ruptura oeſophagi a BOERHAVIO & HEISTERO ſupra cap. II. N. VIII. obſervata.

XX.

Ab *uſu incauto mercurii* ſi lingua & fauces intumeſcant, & deglutitio inde lædatur, clyſteres fortes revellentes ſæpius ſunt injiciendæ, & ſi aliquo modo æger adhuc deglutire poteſt, purgantia ipſi exhibenda, ut hoc modo non ſolum vis mercurii a faucibus ad inferiora revocetur: verum etiam ipſe mercurius per alvum evacuetur; ita enim tumores in ore minui, ægrique liberius rurſus deglutire poſſunt, Cæterum *nimiæ oeſophagi anguſtiæ* a febri relictæ, *coalitus exulcerationem ſecutus*, *mutatio ejus in cartilagineam ſubſtantiam vel callum*. N. VIII. cap. II. indicata, nullam admittunt curationem. Si a *luxata vertebra colli vel a luxato oſſe hyoide*, luxatio convenienti modo reponenda, tumoresque & inflammationes, quæ inde ſæpe oriuntur debita methodo, medicamentis reſolventibus atque antiphlogiſticis curandi.

Pag. 4. lin. 31. *poſt oſculis add.* & glandularum excerniculis.
p. 7. lin. 27. l. deglutitio.
pag. 12. lin. 18. pro *erant* l. ſint,
p. 16. lin. 29. l. protrudat.

FINIS.